



175

1. 0

2. 1

3.

4.

5.

6.

7.

49

16



DISPUTATIO JURIDICA
De
NON VSV VEL
ABROGATIONE IURIS
JUSTINIANEI &c.

Deo Ter. Opt. Max. Auxiliante.

SUB PRÆSIDIO
Amplissimi, Consultissimi, & Excellentissimi,
V I R I

DN. JOH. OTTONIS TABORIS, U.J.D.
IN INCLITA ARGENTORATENSIVM ACA-
DE MIA CODICIS ET FEUD. PLACIT. PROFES-
SORIS CELEBERRIMI, JURIDICÆ FA-
CULTATIS SENIORIS,

*Dn. Patroni ac Præceptoris sui omni observantia
& honoris cultu atatem colendi.*

Proposita

à

WILHELMO HENRICO GOLLIO

Spirensi.

Ad diem A ~~Septembris~~ ^{Octobris}.

ARGENTORATI,

Ex Muséo Chalcograph: JACOBI THILONIS,
ANNO M. DC. LII.

774

1658. 12. ~~XII~~

28

MONASTRIUM

ABBATIA

JUSTINIANUS

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

DE

WILHELMO HENRICO GOLLO

DE

DE

DE

Ex Museo Chalcographico Jacobi Tancosii

Anno M. DC. LXX.

5





PARTIS QVARTAE,

ARTICULUS VII. & Ultimus.

De non usu, seu abrogatione Totius Legis
lationis Justinianæ, ac altero tanto dispo
nentis.

I.

Ecce peccatores intenderunt arcum, pa-
raverunt sagittas suas in pharetra, ut sagit-
tent in obscuro, Rectos corde. Quoniam
quæ perfecisti, destruxerunt; *Iustus autem*
quid fecit. Ita Regius Psalter jam suo tem-
pore conquerebatur, in Psalm. 11. (al. X.) Ca-
lumniarū sc. architectum diabolum, cum emissariis suis, ut re-
ligioni, sic & iustitia eā insidiari violentia & virulentia, ut fun-
damenta evellere conitantur, hoc est, juris & æqui princi-
pia: quibus concussis, frustra sint, qui Iustitiæ studeant. Sic
enim Chrysostomum, Euthymium, Helychium & alios rectè
Psalmistam interpretari, Compilatorum princeps Lorinus *ad*
d. 10. annotavit, pag. 165. F. & pag. 157. C. Addatur succineta ex-
positio P. Wirthii. pag. 16.

Bucchananus his versibus, versus Psalmi expressit:

Intendit arcum (en aspicias) impius
Nervo sagittas admovet, ut petat
Incogitantes è latebris
Innocuos animique rectos.

Priora quidem satis eleganter, sed vim emphaticæ interroga-
tionis omisit, aut detorsit, cum Deum irrita facere ait decreta
vesani furoris, contra humiles male nil merentes. Cum enim

Xx

Psal.

Psalmista conqueratur : Impios destruere fundamenta quæ Deus suffecit : inverso ordine & stylo illa, decreta vesani furoris, appellantur.

II. Nimirum credidit omnis sanior antiquitas, non Christiana tantum & orthodoxa, sed etiam profana & cætera erroribus obnoxia, ut certa sint in Theologia credendi principia, certiq; in Medicina medendi aphorismi : Sic certos quoque in Jure & justitia administranda canones in omni Republ. benè constituta supponendos esse. *l. 2. §. 3. ibi : incerto magis jure. juncto §. 4. ibi : ne diutius hoc fieret. de Orig. jur.* Ergo qui Theologiam hodie constituunt *variã*, Syncretisticam, Ubiquitisticam (sic n. rectius appellatur nova ista Hætericorum religio, quam articulum de omni præsentia Christi sec. H. N. ritè exponentium orthodoxia) fundamenta & fines turbant, eruunt, subvertunt : Qui Medicinam *causariam*, divinatricem, Empiricam, efficiunt : fundamenta Hippocratica subducunt : Multoq; majore cum permicie Reipubl. idem agunt, qui juris Justiniani nullū aut exiguum usum super esse, in controversiis dijudicandis ajunt, & pleraque omnia abusu abolita esse, integris voluminibus non sine magna temeritate adsertum eunt : Ut merito de sæculi nostri ingeniis dicatur ; ea tam procacia esse & ad inanem subtilitatem luxuriare, ut ex nigro album facere cum primis delectentur. *H. Cavallos tom. 3. commun. contra commun. quest. 749. (quæ est prima dicti tom. 3. n. 9.) in fine.*

III. Tale est (ut in nostris consistamus Circulis) ingeniū impij illius pessimæ causæ patroni, Johannis Miltonii, qui ut L. Juliae Majestatis pœnis collum subducatur, in *defensione sua contra Salmasium pag. 19.* optat & exclamat : Utinam plures reflexissent, tum LL. tum Legulejos : Rectius sane & rei Christianæ & populo consulissent. Annon enim hoc est subvertere Reip. fundamenta : Cum omnis prudentis antiquitatis confessio reclamet & salutem Reipubl. in Legum certitudine, & observantia jugi unicè collo. et. *v. Aristol. 3. Polit. 10. & 12. ibiq; Interpp. ad unum penè omnes. Arnisaum 2. relect. polit. c. 4. sect. 3. n. §. 6. Besold. 1. polit. 1. §. 32. Ricorso de Pasquino ad Appollo. p. 295. ibi;*

ibi: La legge è il vero Prencipe che à popoli commendar deve, & li Prencipi guardiani & effecutori di essa sono.

IV. Falluntur n. haut dubiè insigniter, qui disceptationem, de auctoritate Juris Romani, jam olim ab importunis hominibus motam; hoc verò imprimis seculo, ab Hippolyto à Lapide, eiusque sequacibus, in libellis de origin. Juris Germanici, resuscitatam, parum noxæ Reipubl. allaturam, arbitrantur, eamque pro Scholastica habent, & cathedris Academicis tantùm fastidium aliquod adlatura. Utenim dogma Samaritanum de religionum adiaphoria, principio quidem, problematicè agitari visum; nunc adèd Juventutis animos invasit, ut detrimentum inde Ecclesiis Christianis immineat exitiale: Ita si hoc postulatum, Autor omnium confusionum Satan, in auditoriis politicis, obtinuerit, Juris nempe Romani, quo hætenus Christiana Respubl. ut plurimum usa est, auctoritatem nullam, usum superesse exiguum; è diverso, sufficere veterum Germanorum instituta, aut provinciarum & Municipiorum Statuta, quibus, si Deus placet, vetus Hebraeorum jus, ex baba kamma superaddi queat, brevi impurus ille spiritus effecturus est, ut quilibet suum jus alteri objiciat, & dum communi vivere recusat, nullum agnoscat, sed ad chironomiam denique rem deducat. Quemadmodum Majores non Germanorum tantum, sed & aliorum populorum, qui Juris Romani observantiam olim omiserant & amiserant, in duriora pleraque placita consenserunt, qualia sunt, assertionis Juris sui per duella & diffidationes, durch das Faust-Recht, probationis per monomachiam, per judicium divinum, ignis & aquæ, & similia: à quibus & Jus Hungaricum olim non omnino immune fuit. Vid. in Constitutionibus Regni. Decretum Matthias Regis Hungariae, sextum, artic. 18. Anno 1486. pag. 150. collato ex eod. Tom. 2. Decreto I. Ladislai. Anno 1492. artic. 37. sub tit. Duellorum Iudiciariorum abolitio. Quin immò res ipsa ostendit, (inquit Ernest. Cothmann. in Comment. ad tit. Cod. de summ. Frinit. & fid. Catholic. q. 2. pag. 35. n. 17.) patrias leges quas interdum tantoperè ostentant, usque adèd esse obscuras, grossas, & involutas, ut non nisi adhibitis saluber-
rimis ex Jure Romano petitis interpretationibus, & Commen-

cf. Besold.
rh. pr. lit.
B Serbo
Burgrecht
n. 94.

tariis, populo & Reipub. usui esse possint: Ideoque fit, ut Commentarii sint meliores, justiores, uberiores & elegatiores, quam novæ illæ patriæ Leges. Falsus est hoc jam olim Anno 1508. Canutus, Episcopus Viburgensis, in egregio Commentario ad Jus Danicum, in præfatione supponens: Statuta Regni Daniæ eò magis ad rationem boni & æqui accedere, quo magis Juri Romano conformia sint. Agnovit Stephan. Werbeuzius, leges & consuetudines, adprobatas, incluti Regni Hungariæ conscripturus, tum in prologo tum in toto Tractatu, Commentationem suam, ad Juris Romani obrusam dirigens & dispensans. Agnovit in Statutis Regni Poloniæ explicandis jam olim Herburtus: falsus est Thomas Dresnerus Leopoltitanus U. J. D. in Academia Zamosciensi Juris Professor Ordinarius, *Institutionem juris regni Polonia lib. 1. pag. 2.* & nuper Andr. Lipskius Regni Poloniæ Cancellarius, in Practic. observationib. ex Jure Civili & Saxonico collectis, *ad genium, ingeniumque Gentis Polonica irrigandum, nec minus ad stilum Curie Regalis accommodatis. ut ipse loquitur in dedicatione.* Agnovit Petrus Royzius Maureus in decis. Lituanicis; Agnovit cum Seldeno, Zoucheus, & Covellus, quorum uterq; sana Anglicani Juris præcepta, fontibus Juris Civilis imputat, ut Gallorum, Hispanorum & Itolorum auctoritatem hic omittamus, quorum Commentaria pleraque omnia Juris Romani fundamentis innituntur. De Belgis Grönevegen tract. de LL. abrogatis *ad §. 6. proximi Inst. n. 2. & 3.* sic loquitur: Cum jus Romanum passim summâ ratione atque æquitate abundet; olim pro justitiæ & æquitatis exemplo, in Belgii dicasteriis allegatum; tandem verò etiam pro Legibus receptum est, atque etiamnum regulariter, apud nos legum vim atque auctoritatem obtinet. Et idè Ordines, in condendis legibus, sese sæpè ad Jus Romanum, tanquam ad Jus Commune & receptum, referunt.

V. Tale ergò cum sit, omnium prudentum in Orbe Christiano, immò ipsorummet Turcarum, de jure Justiniano, judicium, *uti Busbequius & Leunclavius auctoritate attestantur,* dolendam utique est fatum juventutis credulæ, quæ per
fana.

fanaticorū seductiones in ἀπορίαι & incertitudinem juris & de jure; atq; neglectum Jurisprudentiæ adducitur. Contra tota Jurisprudentiæ hostes, *quid justus efficiet, proficietque?* Quis erit ille Atlas, qui mundum in exitium ruentem, sufflaminet, sustineatve? Dei præpotentis hoc opus est, cuius præsidium è cœlo piis precibus evocandum: Nec cessandum interim iis, quibus aut legum custodia aut interpretatio commissa est, ut monstrosis istis assertionibus se se impavido pectore opponant. Id per occasionem prælectionum in multis juris articulis nos tentasse; chartæ olim nostræ, si quando lucem aspexerint, nostræque urnæ superstites fuerint, abunde testabuntur. In finitis enim locis ostendimus, huic & illi textui abrogationis dicam & nigrum theta temerè à Novatoribus adponi: Quidquid enim Bugnion, Mornacius, Autumnus, de sua Gallia, vel Grotius aut Gröneveggen de sua Batavia efferant: Utiq; nos percellere nequaquam debent, quibus Romanarum legum Majestas & observantia etiamnum sanctissimè, per religionem juris jurandi Doctorei, commendatur. Valeat ergò apud Gallos effectum illud Bernh. Autumnus *in censura Gallica in l. 52. §. in clivo 2. ad L. Aquil. pag. 170. scribentis*: Ufus arbitrio totam Jurisprudentiam Romanam temperandam esse (sc. apud Gallos:) Longè aliud Imp. nostrorum & Imperii statuum, votum decretumque esse, alibi ostendimus. Atque utinam non sit necesse cum Barone Enenckelio *lib. 1. de privileg. c. 12. n. 5. exclamare*: Utinam de aliis Rebus publ. dici nequeat, quod quidam Rerum Gallicarum scriptor, de sua effert: Nullam omnino gentem esse, quæ meliores leges habeat: (Habet autem è scriptis præcipuè Romanas) Nullam verò quæ his minus utatur.

VI. Missis in præsens exemplis aliis, Nomothetiam quæ nunc tantas movet turbas, de fine alterius tanti, intueamur. Eas vero leges, non Galli solum & Itali, sed & complures Germani abrogatis accensere haut quaquam verentur. *v. sup. part. 2. Art. 1. th. 2. Grönemegen ad d. l. 27. §. 1. C. de Usuris, ubi ratione parum apta, abrogationem hanc defendere satagit. Alii l. 10. C. de Usuris pto l. 27. §. 1. C. eod. custodiri tradunt. Ut præter ea, quæ supra ex Sandzo retulimus, subjecta Epistola docet.*

Xx 3

Extract

Extract Schreibens Herren N. N. Zehnie-
schen Hoffgerichts Advocaten sub dato Jhna
am 19. Tag Septemb. An. 1649.

So viel das alterum tantum belanget/
so seind die Rechts-Gelehrten der Meinung/
wann der Zins so hoch als das Capital aufges-
laufen vnd rückständig blieben/ so könne weiter kein
Zins gefordert werden: Wann aber von Jahren zu
Jahren etwas von Zinsen particulariter were erlegt
worden/ in solchem Fall seind die Schöppenstühle nicht
alle einig.

Zu Wittenberg vnd Franckfurch/ wie auch zu Lei-
pzig in der Juristen Facultät wird gesprochen/ wann die
Zinsen von Jahren zu Jahren/ zum theil oder ganz ers-
legt würden/ so könne man immerfort bis das Capital
erleget/ die Zinsen weiter fordern/ wann sie sich gleich
über das Capital oder alterum tantum beliefen: Aber im
Schöppenstuhl zu Leipzig/ wie auch im Hoffgericht das
selbsten/ in gleichen im Appellation Gericht zu Dres-
den wird darvor gehalten/ wann gleich die Zinsen par-
ticulariter oder einzeln erlegt würden/ könnte man doch
auch dieselben so dann weiter nicht fordern/ wann man
deren so viel/ als das Capital ist/ bekommen hette/ sons-
dern müste man sich das übrige/ was man mehr emp-
fangen am Capital abfürken lassen. Die Herren des
Schöppenstuhls allhier (zu Jhna) haben gesprochen/
wann die Zinsen vom Glaubiger gemahnet würden/ vnd
der Schuldner im vorzug were/ vnd durch seine Schuld
die Zinsen zusammen wachsen liese/ so können sie voll-
ständig

ständig gefordert werden / wann sie gleich das Capital übertreffen: wann aber der Glaubiger selbst nachlässig were vnd nicht mahnete / oder so dann erst die Zinsen Gerichtlich / oder außerhalb Gerichts suchete / wann sie schon dem Capital durch seinen Verzug gleich weren worden / so könne er so dann über das alterum tantum keine Zins fordern (Quæ posterior relationis pars, ferè congruit cum testimonio Magnif. Dn. D. Carpzovii, qui sententiam Dni. Jenensium plenius refert in Alylo cap. 1. §. 23. n. 266 eamque ut fundamentalem laudat.)

VII. Possimus controversiam istam declinare illo Par-ladorii prætextu, qui *lib. 2. rer. quotid. c. ult. part. 5. §. 17. n. ult.* sic inquit: Nos, qui jura interpretamur, placita & sententias juris demonstramus: Mores autem juri adversi, quantum ponderis & momenti habituri sint, aliis exputandum relinquimus. Sed quia leges officii, diserte nobis comparationem istam imponunt: *v. præfat. tr. de obstagio.* Semel aliquid de abrogatione legum in genere dicemus, adplicationem principiorum, ad præsens problema, superiorum arbitrio relicturi. Protestati interim nobis nihil negotii fore cum adlevatione gravium Actorum, qui in hac vel illa provincia, hanc vel illam constitutionem usu non servari, contendunt. *v. Dn. Nahn de constit. pecun. pag. 528.* Præterquam enim quod res illa difficilis & invidiosa sit, singularum provinciarum mores & observantias examinare: Satis notum est, consuetudinem specialem, non posse abrogare legem rationemve generalem. *Arnisaus 1. relect. polit. cap. 4. sect. 2. n. 15.* Nos autem de abrogatione L. universali tractamus.

VIII. Neque repetere ea aut excutere animus est, quæ Philosophi, eorumque interpretes Scholastici; vel etiam Politici, latissime de hoc e argumento disputant: Sed juris tantum autores secuti, tum de mutatione ipsa, tum de modis mutationis pauca edisseremus. Enimverdus jus Civile mutationi obnoxium esse, res ipsa docet, ac multa juris loca largiuntur:

giantur:

giuntur §. II. I. de I. N. G. & C. §. ult. I. de Legit. agnat. tut. Siquidem sæpe quod initio credebatur prodelle, postea experimento inventum est inutile, Nov. 3. pref. s. 8. de Consang. & affin. Interim de potestate & modo, non una est omnium sententia. Neque hoc loco invidiosam illam disputationem ingrediemur, quatenus hodie quilibet status possit in suo territorio totum jus Civile abrogare, siquidem ea de re alibi sententiam nostram aperuimus. Hoc loco quantum sine invidia & discrimine licet, illud tantum repetimus, quod Jurisconsulti cum Politicis communiter in ore habent: Mutandi potestatem eidem, cui condendi facultas competat, congruere l. 1. penult. & ult. C. de LL. Adeoque cum II. universales, non unius Status, sed Imperatoris & statuum consensu ferantur! etiam ad universalem abrogationem, temperantis consensum saltem tacitum concurrere debere.

IX. Unde sequitur, (1) non abrogari aut mutari leges privatorum opinione, aut conventionem, l. 27. pr. l. 45. §. privatorum. de R. I. (utcumque in hypothese, juri sibi competenti, aut quaesito quis renunciate possit, l. 7. §. si paciscar. 14. l. pacisci 31. de pact.) ne quidem sententia Judicis, l. 19. de appellat. & relat. l. 1. §. 2. Quae sententiae sine appellat. resc. l. 2. §. C. quando provocat. non est necess. l. 27. & 32. de Re jud. l. 13. C. de Sentent. & interlocut. ubi notabiliter Imp. Justin: Nemo, inquit, iudex vel arbiter existimet consultationes (quas non ritè judicatas esse putaverit) sequendum: Et multo magis (sc. caveat) sententias Eminentissimorum praefectorum, vel aliorum procerum: Addita gravi interminatione: Non enim si quid non bene (i.e. praeter vel contra legum praescriptum) dirimatur, hoc & in aliorum praedictum extendi oportet: Cum non exemplis, sed legibus judicandum sit. Neque si cognitionales sint amplissima praefectura, vel alicuius maximi magistratus prolatæ sententiae (quibus verbis sola Imperatoris cognitio excipitur, l. ult. C. de LL.) sed omnes iudices (maximos, minimos, medioximos) (1.) veritatem & (2.) legum ac iustitiae sequi vestigia decet. v. sr. nost. de offic. iud. praefat.

X. Porro

X. Porro (2) illud etiam consequitur: Quia nec in statu purè Monarchico, Imperatoris rescripto impetrato, vis legis infracta; sed rescriptum potius, pro sub & obreptio, habitum fuit: l. 3. & 7. C. de precib. Imperator. offer. l. 1. C. de SCtis. l. ult. C. si contr. jus vel utilit. public. (Quod LL. ne tum quidem, sine suffragio populi, l. 32 §. 1. de LL aut pragmatia, l. 8. C. eod. conderentur.) Multò minùs isto Reipubl. statu, nudis rescriptis, contra jus impetratis, talem mutationem induci. C. A. de LL. th. 29.

XI. Sequitur (3) Legum autoritatem nequaquam evalescere tempore, aut non usu Imperitorum. Donell. lib. 1. comment. cap. 12. coll. l. 1. §. 2. de migrando. Raceinat. crimin. 3. th. ult. pag. 116. Licet enim actiones, servitutes & alia jura privatorum, hoc modo depereant: Non tamen ius publicum. l. 2. C. de divers. Rescript. Donellus d. lo. Rosenthal. cap. 12. de feud. conclus. 3. n. 17. solo, inquam, non usu. Nam, quid de casibus, quibus contrarius insuper usus accessit, habendum sit, de quib. Rosenthal. in notis ibid. etiam agit, mox videbimus.

XII. Sequitur (4.) ex adverso: Mutandi iuris potestatem, esse penes eum solum, qui condendi facultatem habet, post ceteros, Donell. dict. loc. Jam etiam in statu Monarchico, non solus Princeps, nec soli subditi, introducendi iuris potestatem exercent: sed princeps, populi suffragio subnixus, legem introducit. l. 32. §. 1. de LL. Quod multis durum & absonum videtur: Nempe, non æstimantibus, potestatem tyranni & boni Principis, à Philosophis æquè, ac Jctis, accuratè discerni. Tyrannus omnia, pro libidine animi sui, gerit, nec ad sensum populi, aut usum Reipubl. LL. attemperat: Sed bonus Princeps subditis imperat, ut bonus paterfamil. charissimæ familiz. Estant certain que les vraies maximes des estats sont, que plus une puissance est grande & absolue, on la doit mesnager avec plus de retenue & moderation, pour la faire longuement durer. dicebat Parliamentum Paris. Regi suo, in graviss. remonstr. Anni 1615. refer. Mercur. Gallic. tom. 4. pag. 41. v. Inter recentiores Dn. Geilfus. Exercit. 3. th. 3. Ubi ex Arist. 3. politic. 10. ostendit differentiam, inter potestatem Regalem & Dominicam: Quòd illa domesticum regimen imitetur; hæc herile: Dummodò Exer-

Vera sententia l. 32. §. 1. de LL. à paucis percepta.

Yy citium

354 PARTIS QUARTÆ ARTICUL. VII. & Ult.
citiū potestatis, ab ipsa potestate ritè, discernatur. *Add. Arist.*
2. Politic. cap. 5. Luther. in der Antwort auff Cajetani Frage/ An-
no 1518. pag. 114. tom. 1. ibi: Es ist eine Regel: Das dann ein
Gesäg erst kräftig sey / wans von denen bestättiget wird / die
sich darnach richten vnd halten sollen. D. Calixt. Theolog. moral.
pag. 78. Exempla passim sunt obvia, in Constit. Imperii vom
zutrincken. de Ann. 1500. 1548. de qua Gail. 2. observ. 110. n. 24.
In recessu Deputat. de Ann. 1586. v. Heig. 2. quest. 1. n. 159. Aliud,
in constitutione Carolina, vom Interim. de Ann. 1548. v. Sleidan.
lib. 20. Plura invenies apud collectores variarum constitutionū
Isidorum, Bonfin. Pithæum, Lindenbr. Freherum, Goldastum,
Hortlederum: Add. Joachimum Camerarium, in vita Melanch-
thonis. pag. 276. Coll. sup. part. 3. artic. 4. §. 11. & 12. pag. 167.

XIII. Sequitur, (5.) multò magis etiam hodiè: v. *Dn.*
Carpzov. de L. Regia. cap. 3. sect. 1. ad abrogationem Legis, utri-
usque, & Imperantis & parentium: Et illius cum maximè, con-
sensum, desiderari. l. 3. §. 5. de sepulchro violato. Novel. Leon. 53.
laudata à Kirchmanno lib. 2. de funeribus. cap. 20. pag. 261. Con-
sensus ille, seu voluntas contraria, declaratur vel expressè ver-
bis, vel tacitè factis. Expressè alia L. Latà, sive nominatim pri-
or abrogetur, sive disertè contraria inducatur. l. 18. de LL. Ex-
emplum est in d. l. 3. §. ult. de sepulchro violato. Quam ut missarum
pro defunctis usus, plerisq; locis à temporibus Gregorii M. aboleverit.
ex Warem. ab Ehrenberg. refert. Dn. Carpz. Iurispr. Consistor. lib. 2.
def. 39. n. 4. Adde Rivetum in antidoto contra pestem pag. 154. Ha-
gen. de Usuris c. 2. n. 5. Quia enim, in contrariis voluntatibus,
plus unà valere non potest: novissimam prævalere, relinquitur.
l. 12. C. de pact. l. 12. §. ult. de Legat. 1. Donell. dict. loc. ubi exem-
plis rem illustrat. Quod omne de generali accipiendum. Nam spe-
cialis salvat casum exceptum; At in cæteris casibus non exce-
ptis, regulam potiùs firmat, quàm infringit. Id ibid. Si apertè
non sit contraria; legem potiùs moderari & interpretari, quàm
tollere, censendum est.

XIV. Et hæc quidem, de expresso consensu, in expedi-
to sunt: *De tacita autem abrogatione, res longè est difficilior.*
Nam & hîc ipsæ LL. in argumento de potestate consuetudinis

in.

DE NON-USU SEU ABROGAT. LEGISLAT. JUSTIN. 355

in L. abroganda, committuntur. Alibi enim desuetudo vincere Leges dicitur & eas abrogare. §. 10. *Inst. de I. N. G. & civili. l. 32. f. de LL. 2. Feud. 1.* Alibi id negatur *l. 2. C. qua fit long. consuetud.* Omissis aliorum conciliationibus, quas fuse ad d. l. 2. notavimus, Amplectimur in presentiarum distinctionem vulgatam, inter non-usum seu desuetudinem; & contrarium usum, seu contrariam consuetudinem. Solus non-usus nequaquam legem abrogare potest; cum etiam, ex ignorantia legis, oriri possit: At contrarius usus, seu ut alii, qui à Rosenthalio dict. loc. lit. N. citantur, loqui amant, non-usus, qui habet usum contrarium, legi implicitum, ille sanè legem tollit. In quo Articulo tamen iterum diligenter attendendum & requirendum, An ille usus contrarius (1.) intercedat, principe, aut superiore, sciente, an ignorante. Si sciente & connivente introducatur: Utiq̃ue dictam vim habet: quasi communi suffragio; lege sublatâ: Sed si maximè populus, ignorante, vel etiam invito Principe, in Legem peccet, non consuetudo; sed usurpatio, ea vivendi faciendiq̃ue libido dicenda erit. *l. 13. §. ult. de injur.* Neque prohibendus erit jure legitimo uti, qui illud invocaverit. *d. l. 13. §. ult. ibi: usurpatum tamen & hoc est; tametsi nullo jure, quare, si quis prohibeatur, adhuc injuriarum agi potest.* (2.) Usus contrarius non tantum allegandus; sed etiam probandus est: (*Mynsing. decad. 2. responsor. 13. n. 13. ubi ait: si consuetudo vel desuetudo contraria sit juri scripto, tum plenè & ad amissim probandam esse, cum facti sit. cap. 1. & ibi not. De Constitut. in 6. Scapus de jure non scripto in tr. praamb. Besold. in thes. pract. verb. andere Ehe / pag. 46. B. ubi non aliquot locorum observantiam; sed omnium & singulorum ad Universalem legis abrogationem requiri, docet. Conf. Dn. Carpzov. in Asylo, cap. 1. §. 11. n. 62. & seqq. & amplius n. 236. cum seqq. vers. Ita nimirum vulgò consuetudine superbiunt.*) Contradicto judicio receptus. *l. 34. de LL. v. qua dixi part. 3. art. 8. §. 13.* Et sententiâ Imperatoris firmatus: post Oldrad. *Alexand. Gœden. in causa simili. Bocer. de success. feudi. cap. 3. quest. 48. pag. 322.* Aliàs casus non dicitur obtigisse. *Alexand. lib. 1. consil. 132. pr. n. 4. apud Rosenthal. dict. loc.* Declarat hanc limitationem, exemplo notif-

Yy 2 lino



fimo, Cuiacius, multis locis, actionis furti: Hæc, inquit, nullibi ferè usurpatur, sed de furto plerumque criminaliter agitur: Neque tamen actionem furti, pro abrogata habere debemus, cum nullâ Lege, aut sententiâ, hæc agendi ratio, alicubi sit prohibita. Idem de postulatione suspecti tutoris vel curatoris, contra Oldendorpium p. 863. abolitionem eius postulationis nimis audacter inducentem, haut injuria pronunciaueris, arg. l. 1. ibi: frequens est clausula. de suspect. tut. Sic confiscatio pretii rei litigiosæ, in pactum deductæ, rarò usurpatur; Neque tamen idem magistratus, Assessore juris perito usus, eâ uti prohibebitur. Vid Vmmium disput. de processibus s. n. 73. Riminaldum, Bottam. Nattam & Alios, laudat. Costa centur. 1. distinct. 93. n. 5. pag. m. 422. Add. Gail. 1. obseruat. 118. n. 2. f. Thom. Michael. apud Klocken. 2. consil. 57. n. 65. Vt cunq; Galli, ut Rebuffus, Imbertus, Paponius, & alii citati Christinao 4. decis. 175. n. 10. l. ult. C. de litigios. pro abrogata habeant: Quod scilicet et Gallia omnes pœnas pecuniarias iure civili introductas rejecit. Christinaus d. l. n. 12. Tradit tamen Raguel ad decisiones Iustiniani pag. 695. in f. Nisi à principe impetretur rescriptum, pour purger le vice de litige; Fiscum sibi posse etiam in Gallia duplû confiscare pœna nomine: partem nimirû à venditore, partem ab Emptore, scienter contrahentibus. Et deniq; (3.) probandus est, V. contr. non tantum in una parte legis; sed in omni, quæ abrogata memoratur. v. g. t. r. C. de his, qui sibi in Testam. adscribunt. l. 15. de L. Cornel. de fals. ubi eum Testamentarium, qui sibi in Testamento adscribit, non tantum jacturam legati facere, (dum illud pro non scripto habeatur;) sed insuper scriptorem, ut falsarium, puniri volunt. Errant ergo, qui eas sanctiones inter abrogatas habent, quod pœna falsi alicubi non frequentetur: Siquidem eius pœnæ abrogatio, ab omissione exactionis accuratè est discernenda, per d. l. 1. §. 2. de migrando. l. 1. de interrogat. act. pœnam & Principes interpellati cœperant remittere: l. 3. ibi: L. Cornelia veniam deprecantibus, ob ignorantiam, Amplissimus ordo, vel divi Principes dederunt. C. d. t. Quis autem inde dicat, relictum hodiernum deberi, contra d. l. 3. Sic, usuras ubique locorum continuo tractu, hætenus fuisse exactas & perceptas, multi memorant: Sed quis eorum hætenus docere potuit contradicto iudicio, oppositam fuisse

exceptionem alterius tanti; Eteam tamen exceptionem, expresso, tacitove omnium statuum & supremi principis consensu, reiectam, atque infinitas usuras, etiam debitori, hac legis exceptione utenti, sicque semper & ubique communi suffragio fuisse injunctas: Id v. nondum est demonstratum; Sed contrarium, saltem de modo quantitatis, multis curiarum arrestis poterat doceri. v. *Mercur. Franc. tom. 4. pag. 317. §. La Bourgeoise de Vormes.* Quia nec id, quod per actus aliquot in iudiciis observatum fuit, fortè per errorem, statim ita ius facit, ut ius constitutionis omninò tollat. *c. 2. de probat. Dn. Franzkius 2. resolut. 10. n. 76. & seqq. cum requiratur in l. 38. ubi quatuor requisita inculcantur. de Legibus:* Rerum perpetuò similiter iudicatarū auctoritas. *conf. ipse Gronewegen. ad l. un. C. de sentent. que pro eo quod inter. pag. 647. n. 8. ibi:* Quamvis rerum similiter iudicatarum non vilis sit auctoritas: Non tamen propter rem iudicatam ab huius legis sanctione in praxi recedendum censerem: cum Usus contrarius sæpe errore magis quam ratione introducat. *l. 39. de LL. Addiderim: nec rationem, quam tunc unq; probabilem & urgentem ad abrogationem legis proficere, nisi quatuor illa requisita in d. l. 38. de LL. designata, concurrant. l. un. C. ut actiones ab heredibus. l. 64. §. 9. Solut. matrim.* Unde Dd. dicunt: Quod in L. non cavetur, in practica non haberi. *Bald. in cap. nihil. de Elect. Dn. Limneus. 2. de iure publ. cap. 9. num. 50. Thesaur. loc. comm. Jurispr. lib. 10. cap. 10. §. 32.*

XV. Nolim cum his quæ de consuetudine legi contraria, *Expositio* haftenus dicta sunt, confundi consuetudinē aut observantiam *l. 1. C. quæ sit. long. consuetudo* præter vel extra legem constitutam aut introductam: de qua re *l. de quibus. 32. de Legibus.* definiens: In causis iis, de quibus scriptis legibus non utamur. i. e. quæ non sint definita legibus usu receptis. *l. diuturna. 33. ibi: in his quæ non ex scripto descendunt. d. 2. id custodiendum esse, quod moribus & consuetudine inductum sit. Nec alio pertinere videtur l. præses. 1. C. quæ sit longa consuetudo.* Ubi præses iubetur, (1.) probatis his quæ in oppido (2) frequenter (3) in eodem controversiarū genere servata sunt, (4) causa cognita statuere. Nam (hoc casu, deficiente sc. expres-

Yy 3 sale

sa lege, quæ negotium definiat) & consuetudinem præcedentem, & rationem, quæ consuetudinē suavit, custodiendā esse. Et (cum) ne quid contra (talem) longam consuetudinem fiat, præsidem provincie ad sollicitudinem suam revocaturum. Probat hanc expositionem atq; aded efflagitat (1) præter regulam & analogiā juris modo ostensam (2) contextus integer, sumendus ex l. an in totum. 3. C. de ædif. privat. (Notum enim est, sæpenumerò unus eiusdemq; constitutionis partes fuisse plures, quas Justinianus suis quaq; locis inseruerit: quæ tamen in exponendo omninò conjungendæ sunt. *mon. Vultei. ad i. un. C. ubi de hered. ag. n. 8. f. Bachov. ad l. 42. de pact. p. 703. & seqq. Paneiroll. qui multa exempla congerit, l. variar. 78.* Cum enim lege definitum non sit, an in oppido ædificium ruina collapsum quis possit convertere in aliam faciem, puta in hortum: Ided in ea re valere & spectanda esse dicitur, etiam à præside, oppidi consuetudo. (3) Requirit etiā hanc explicationem, subjecta l. 2. C. quæ sit long. consuetudo, quæ negat consuetudinem legem vincere: in primis si illa ratione destituta sit. v. *Frider. Martini cap. 5. de censibus n. 4. juncto. cap. ult. ext. de consuetud.* Illustrat hanc rem Cujac. in *comment. ad rubr. C. d. t. Quæ sit longa consuetudo pag. 1157. a.* exemplo propiùs huc spectante: Usurarum, inquit, modus (quantitativus) lege finitus est, ne excedat centesimam: At intra hunc modum, provinciæ variant, neque unum præcisè numerum servant; Aliæ enim levioribus acquiescunt, aliæ gravioribus utuntur: Quia ergò specialior hic modus lege finitus non est, ided in eo spectatur consuetudo cujusq; regionis. l. 1. D. de Usuris. l. idemq; 10. §. 3. *vers. sed & pecuniam. Mandati.* At qui modus expressa lege definitus est, eum excedere non licet. l. eos 36. C. de Usur. Hactenus Cujac. Fiat nunc applicatio ad modum usurarum terminativum.

XV. Adferam hic aliquid, quod Creditorum patroni hactenus non animadvertere, saltem non urfere; & tamen fœneratoribus etiam non leve præstat patrociniū: Quodd scil. multi anteriorum Interpp. l. 27. §. 1. C. de usur. planè sine ornamento commentarii, transmiserint, aut certè, ad unius tantum anni usuras, restrinxerint: forsitan eā ratione, quodd decisionem usui fori contrariam existimarent: Quasi propter

propter mundi necessitates & angustias, usurarum cursus sustineri non potuerit; uti Azo in *summa d. tit. C. de usuris n. 18. loquitur*. Quomodo etiã supra pag. 97. notavimus, Veteres, Novellas 121. 138. 161. expositione vix dignas judicasse. Unde quis desuetudinem iuris colligat, quæ effectum & vim abrogationis legum habet. *l. de quibus. 32. de LL. l. un. pr. C. de caduc. toll. ubi refertur: L. Papiam abolitam fuisse per desuetudinem. Cuiac. ad rubr. & l. 2. C. qua sit longa consuetudo. Wesemb. consil. 61. n. 3. vers. nec in inducenda consuetudine. Cornel. Benincas. de privileg. pauper. speciali 8. pag. 886. n. 11. & seqq.* Audita etiam est pro fœneratoribus, allegatio vulgati Germanorum dicterii: *Alte Schuldt roffet nicht: Quod adducit & explicat Mollerus lib. 2. semest. cap. 18. n. 4. pag. 170.*

XVII. Pro debitoribus tamen reponi potest: (1) commentarii defectum, non proficere, ad Legis abrogationem: Maximè cum de Usu illorum & subseqq. temporum testimonia Sidonii Apollinaris & aliorum veterum suppetant. v. *Cuiac. ad Novell. 160. & sup. p. 76.* (2.) Non sequi: minùs frequentatam fuisse exceptionem. E planè abrogatam. Cum jus aliquod possit esse usuale; licet minùs frequentetur. *d. l. 1. §. 1. de migrando. l. 2. ibi: minus in usu frequentatur. Ex quibus caus. maj. l. 1. §. 1. ibi: minus frequent. de interrog. in jur. fac.* (3.) Quod si maximè seculo aliquo opulento, vel ex causa, neglecta fuerit hæc exceptio: Non tamen excludetur in æternum, maximè eo tempore, ubi labes & miseria Reipubl. pristina remedia imprimis desiderant. Est enim allegatio juris publici meræ facultatis, quæ idèd civibus nullo tempore adimenda est. *Iason in l. beneficium. 3. n. 56. de constit. PP. per l. in filiis. 35. C. de decurion. lib. 10. l. viam publicam. 2. de via publ. & itin. publ. Wesemb. in c. de reseind. vendit. n. 6.* Quemadmodum enim Novatores ineptiunt, cum v. g. scribunt: *tit. C. si, contra matris voluntatem, tutor datus sit*, abrogatum esse, quod aliquando evidens utilitas pupillorum exposcere visa sit, ut contra votum maternum, tutor detur: siquidem ita manifestè, regula cum exceptione confunditur: Cum nulla Lex tam generaliter & latè concipi possit, ut omnes casus comple-

sta



360 PART. 4. ART. VII. DE NON USU SEU ABROG. LEGISL. JUST.
Statutur: Ita, si maximè uno seculo, opulentia debitorum
contemptum huius juris induxerit; Non tamen ideò censebitur
vis ejus planè extincta fuisse: cum infelicia tempora, similia
remedia cum maximè deposcant. Nam ut Sextus Cæcilius
Phavorino, in simili disputatione regerebat, apud Gellium lib.
20. Noct. Attic. c. 1. Non ideò contemnendæ sunt Leges anti-
quæ, quod plerisque istis, populus Romanus (uti) desiverit;
cum ignotum non sit, Legum opportunitates & medelas,
pro temporum moribus & pro Rerumpublic. generibus, ac
pro utilitatum præsentium rationibus, proque vitiorum, qui-
bus medendum est, fervoribus mutari atque inflecti. Conf.
Arnis lib. 1. relect. politic. cap. 4. sect. 2. n. 75. Mala certè con-
suetudo, non minùs quàm perniciofa corruptela vitanda est.
can. mala consuetudo. 3. dist. 8. juncta dist. X. & XI. per tot. B.
Capolla. 1. consil. 17. n. ult. f. Dn. Carpzov. 3. quest. crimin. 146.
n. 27. ubi ait: constitutiones contra insanos computatores, latas,
vix sine impietate posse abrogatas perhiberi.

XVIII. Subjungere poteramus alia: Sed quia amici &
inimici ab hocce argumento, nos jubent manum abstinere,
meritò, quid usus ferat, hominibus, in Republ. & foro exerci-
tatis, disputandum relinquimus: Interim, quæ alibi remedia
malo huic opposita sint, videre licet apud P. Matthæi, lib. 1.
narrat. 5. n. 6. vers. l'ordre que le Roy. Mercur. Gallic. tom. 2. pag.
246. & planissimè colligitur ex diplomate superioribus annis
Metis promulgato, quod memoriæ causa hic cum interpreta-
tione Latina, subjecimus: Nos autem istorum omnium di-
judicationem superioribus meritò resignamus, juxta præfat.
Novel. 4. & c. quoniam. ult. ibi: Vt unde præfata constitutionis
processit editio, interpretatio quoque ejus procedat. De concessione
prebend. & Eccles. non vacant. in 6. Raubh. lib. 1. quest. 21. n. 11. &
12. Dn. Klocken lib. 2. de arario cap. 19. n. 64. Quibus si aliter
videbitur, obsignabimus exercitationes istas & commentatio-
nes Academicas illo Odofredi nostri epilogo: Or signori, hæc
lex esset bona & utilis, si eam ad praxin liceret redu-

cere. in l. si stipulatio. 2. C. de
jure dot.

Strassburg, Diss., 765A-52


ULB Halle 3
004 774 795



f
sb.

VD 17





774

1658. 12. ~~XIV~~

28

DISPUTATIO JURIDICA
De
NON VSV VEL
ABROGATIONE IURIS
JUSTINIANEI &c.

Deo Ter. Opt. Max. Auxiliante.

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi, Consultissimi, & Excellentissimi,

V I R I

DN. JOH. OTTONIS TABORIS, U.J.D.
IN INCLITA ARGENTORATENSIVM ACADEMIA
CODICIS ET FEUD. PLACIT. PROFESSORIS
CELEBERRIMI, JURIDICÆ FACULTATIS SENIORIS,

*Dn. Patroni ac Præceptoris sui omni observantia
& honoris cultu atatem colendi.*

Proposita

à

WILHELMO HENRICO GOLLIO

Spirensi.

Ad diem A ~~Septembris~~ Octobris.

ARGENTORATI,

Ex Muséo Chalcograph: JACOBI THILONIS,
ANNO M. DC. LII.

